

posthumum a paterna successione excludere. Oportuerat vero gravidam matrem ventris sui inspectionem coram altari in templo aliquot proceribus facere, ut fraudis suspicio remoueretur. Partus autem potius custodiendus fuerat. Pro femella enim coqui filiolum Henricum, qui posthumus deinceps dictus, eandem supposuisse, communis fama fuit. Id quod & Cunradus ipsi obiecit. Inde grauissima bella inter utrumque competitorem de Marchionatu orta sunt: in quibus noster captus ac ferreae (y) capsae inclusus fuit, quae hodiernum Kirchbergae ostenditur. Sed euasit inde Cunradus, atque, hoc aemulo suo mortuo, Misniae principatum adiit. Errant, qui Misniae Marchionatum nimium proferunt: inter hunc enim & ipsam Misniam magna tum limitum diuersitas fuit. Q. Annon multitudo S. R. I. comitatum Saxoniae Electori prodesse possit, ad numerum votorum in Comitibus augendum. Q. an Misnia tum principatus fuerit? Rationes dub. 1) angustia regionis, toties diuisae, 2) quod Lusatiae in titulo postponatur (z). Ceteris tamen comitatibus, Marchionatui huic iunctis, utique iusti in Germania principatus mensuram accepit. Dignior longe Brandenburgensis Marchia, quae ducatus nomen principio sustinuit (a). Ceterum fabula nostris temporibus videbitur, hunc principem pro Sceudizio Lipsiam, istum Germaniae oculum, a Merseburgensi Episcopo, commutationis lege, accepisse.

§. VIII.

- (y) Peccenst. ait: Er hat zu Kirchberg in einem eisernen Bette, wie es eine gar alte Meißnische Chronica nennet, ein Jahr liegen müssen.
- (z) Cocceianum dogma est, quod Hornius, Vitebergensis Ictus, sub examen misit. Scilicet Misniae Marchionatum comitali suffragio destitutum esse, quod nationis is esset Vendicae, non Teutonicae. Verum solus Arnoldus Lubecensis fatis est ad testimonia ex aduerso. Cum quod Misnensis Marchio & Princeps fuerit, & suffragatus sit, sederitque inter principes in S. R. I. comitiis.
- (a) Quod Ludewig ex instituto docuit, primusque argumenta ex plenae fidel monumentis eruit in libello, quem inscripsit formulam ducatus Brandenburgici. Qui consulendus.